



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

VII. De Suffragijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

QUÆSTIO VII.

De Suffragijs.

71. Suffragium, quod à *suffragari* (hoc est, assistere, vel auxilium præbere) derivatur, dupliciter accipitur. I. Pro voto, quale in electionibus ad Officia, & Dignitates dari solet: sed hæc acceptio ad propositum non servit. II. Pro auxilio, quod alteri præbetur: & hoc modo dicuntur Fideles mutuis sese Suffragijs juvare, quando precibus ad Deum fufis, aliisque pijs operibus sese mutuo juvare satagunt.

Suffragium dupliciter sumitur.

72. Porrò hujusmodi Suffragia, quibus unus Fidelis alterum juvare potest, generatim sunt triplicis generis, videlicet Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Indulgentiæ & propriæ actiones bonæ ac satisfactoriæ; ut orationes, jejunia, & hujusmodi, quibus Fideles sese invicem juvare possunt. Fideles autem, quibus ejusmodi Suffragia applicari possunt, duplicis generis existunt, nempe Viatores, sive existentes in Ecclesia Militante, & mortui in Purgatorio, sive qui sunt in Ecclesia Purgante: nam Sancti in cælis nullo indigent Suffragio, damnati verò ejusdem sunt incapaces. Quia igitur de Indulgentijs hætenus jam dictum, & de SS. Missæ Sacrificio (d) alibi dicetur, ex professo nunc de tertio Suffragiorum genere agendum restat.

Suffragia Fidelium sunt triplicis generis

(d) Tract. 14. Dist.

5. per totum.

De fide est, dari inter Fideles communicationem bonorum operum.

73. CONCL. I. De fide certum est, dari aliquam inter Fideles bonorum operum communicationem, quibus ipsi sese mutuo juvare, ac sibi invicem suffragari possunt. Patet hoc ex illo Articulo Symboli Apostolorum: *Credo Sanctorum Communionem*. Hujus quippe Articuli, juxta omnes Theologos, sensus est, quòd detur in Ecclesia communio bonorum operum inter homines justos, quibus se invicem juvare possunt: nam homines justus sunt membra unius Corporis mystici Ecclesiæ sub uno Capite Christo. *Rom. 12. & Ephes. 4.* ergo, sicut in corpore sano unum membrum potest ferre auxilium alteri indigenti. ita & in Corpore mystico Ecclesiæ. Hinc ad *Rom. c. 15.* ait Apostolus: *Obsecro vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Et Jacobi 5. Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet oratio justis assidua, & alibi.*

74. CONCL. II. Possunt insuper Fideles justus se invicem juvare per Suffragia ad satisfaciendum pro pœna temporali. Ita certa, & communis Catholicorum, contra Hæreticos; atque hoc

Possunt Fideles justus se invicem juvare per Suffragia &c.

Ggggg 2

Solvitur in-
stantia.

75. Nec obstat illud ad Galat. 6. *Unusquisque onus suum portabit.* Et 2. Corinth. 5. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Resp. enim, hujusmodi textus Sacrae Scripturae loqui de retributione finali post hanc vitam: & sensus eorum est, quod in extremo judicio nullus puniatur pro peccatis alterius, neque praemiandus sit propter bona opera aliorum, sed quilibet pro proprijs gelis duntaxat. Per hoc tamen non negatur, quin unus defacto possit satisfacere pro poena temporali post culpam peccatorum dimissam alijs adhuc restante, sicque ipsos sive vivos, sive mortuos in Purgatorio, juvare suis Suffragijs.

Ut Suffra-
gium alteri
profit, tria
ex parte of-
ferentis re-
quiruntur.
I. Status
gratiae.

76. CONCL. III. Ut Suffragium habeat suum effectum, tres ex parte offerentis requiruntur condiciones. I. Status gratiae: nam existens in statu peccati mortalis, indignus est remissione culpae & poenae, sicque non potest pro altero offerre opera satisfactoria ex opere operantis, ac nomine proprio; etsi secus sit de Missae Sacrificio, quod habet effectum suum ex opere operato; nec non de precibus, in persona Ecclesiae à Sacerdote in Missa, & Divino Officio persolutis, quae non obstante malitia Ministri habent suum effectum, quatenus dicuntur nomine Ecclesiae.

II. Intentio
offerendi
pro alio.

77. II. Requiritur, ut offerens habeat intentionem offerendi pro altero opus suum, eique Suffragium applicandi. Et haec quidem applicatio debet antecedere opus bonum, non subsequi: alioquin vel applicabitur ipsi operanti, si indiget ejusmodi satisfactione; vel si is non indiget, nec, dum operatur, applicavit alteri, quoad fructum satisfactorium reponitur in Thesaurò Ecclesiae. Sufficit tamen applicatio habitualis, hoc est, praeterita & nondum revocata. Mastrius *disp. 23. Theol. Mor. n. 84.* & alij.

III. Opus de
se satisfac-
torium.

78. III. Ut ejusmodi opus ex se sit satisfactorium; hoc est, habeat valorem & pretium ad solvendum debitum illius, pro quo offertur. Et talia opera generatim sunt tria, videlicet Oratio, Jejunium, & Eleemosyna; sub quibus omnes aliae operationes poenales comprehenduntur.

Quae requi-
rantur ex
parte ejus,
pro quo of-
fertur?

79. CONCL. IV. Ut Suffragium quoad vim satisfactoriam habeat suum effectum, etiam ex parte illius, pro quo offertur, tres requiruntur condiciones. I. Quod indigeat Suffragio. II. Quod sit in statu gratiae. III. Quod peccata, pro quibus satisfactio

ex-

exhibetur, jam sint remissa quoad culpam. Ita communis. Si quidem poena non remittitur, nisi prius peccatum quoad culpam fuerit dimissum.

80. Additur, quoad vim satisfactoriam. Nam quoad vim im-

Declaratur.

petratoriam potest Suffragium prodesse etiam existentibus in peccato mortali, eisdem de congruo promerendo, atque impetrando specialia gratiae auxilia, quibus interius illuminati citius ad poenitentiam convertantur, atque a varijs tum animae, tum corporis periculis praeserventur, &c.

Suffragia pro alijs oblata, adhuc profunt offerenti.

81. CONCL. V. Suffragia pro alijs oblata non redduntur inutilia offerenti, quin potius adhuc multipliciter ei profunt. Ita communis; & patet inductione. Siquidem primò ejusmodi opus bonum prodest ipsi operanti in ratione meriti: seu quatenus homo iustus per illud de condigno promeretur augmentum gratiae sanctificantis, & gloriae coelestis: nam hoc semper manet operanti, & nequit alteri donari. Deinde ultra hoc meritum operis peracti, eidem remanens, accedit novum meritum ratione ipsius actus Charitatis, quo quis per applicationem boni operis à se peragendi vult suo Proximo subvenire. Insuper tale Suffragium prodest offerenti quoad valorem specialissimum illius boni operis, utpote quem non potest licite alteri applicare.

is nihil perdit, quin potius lucratur.

82. Ex quibus proinde liquet, offerentem Deo sua bona opera ex motivo Charitatis, & Misericordiae spiritualis pro alijs, praesertim pro Animabus in Purgatorio, parùm exinde perdere, quin potius lucrari: eò praesertim, quia Aeterna Veritas dicere dignata fuit, Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Atque ipsaemet Animae Purgatorij, tanti Beneficij neququam immemores, sive adhuc in statu Purgationis (ut nonnulli volunt) sive saltem in statu adeptae Caelestis Beatitudinis, Deum pro suis benefactoribus exorare ferventius studebunt.

Prælati Regulares, quid concedant per Litteras Frat. ternitatis, seu Suffragia Ordinis?

83. Quæres, quid concedant Prælati Regulares, dum quosdam Sæculares, praesertim Benefactores, admittunt ad communionem specialem operum & Suffragiorum Ordinis, sive Religioforum sibi subditorum? De hoc ex professo agunt Emman. Rodericus tom. 1. qq. reg. 9. 3. art. 2. & seqq. Miranda tom. 2. Manual. Prælat. quest. 50. art. 3. Suarez part. 3. tom. 4. disp. 55. sect. 5. Lugo disp. 7. de Penit. sect. 8. Basiliæus & Suffragium. n. 1. Sorbus & indulgentia quoad seculares quarto, in Annotat. & alij.

Ggggg 3

84. Et



Hæc possunt
communi-
care Bene-
factoribus.

84. Et sciendum, quòd Urbanus V. prout refertur in Monumentis Ordinis, & Compendio Privilegiorum *Indulgentia quoad seculares quarto, num. 6.* concesserit, ut *Generalis & Provinciales totius Ordinis Minorum possint communicare Suffragia, Indulgentias, orationes, & bona spiritualia benefactoribus Ordinis*: idque fieri communiter solet concedendo eis *Litteras*, quas vocant, *Fraternitatis*, sive *Suffragia Ordinis*. Notant verò citati Auctores, hanc concessionem Privilegiorum, nihil continere, quod Jure communi non sit concessum: nam de Jure communi jam potest quilibet Prælatus bona & merita suorum Subditorum communicare, & applicare Benefactoribus suis. Hoc prænotato,

Prodest talis
communi-
catio.

I. Per modum meriti de congruo.

85. Resp. Hujusmodi communicatio bonorum operum Ordinis, prodest hominibus ad eam per Prælatum admissis, multipliciter. Inprimis quidem indirectè, per modum cujusdam meriti de congruo: quia, ex quo quis efficitur membrum, ac socius talis Religionis, congruum est, ut ob merita ejusdem Religionis Deus speciali auxilio & protectione foveat, atque custodiat personas ipsi conjunctas, etiamsi ad hunc finem merita illa non referantur. Sic propter decem justos, si ibi inventi fuissent, pepercisset Dominus Sodomæ & Gomorrhæ, ac finitimis Civitatibus, *Gen. 18.* Rodericus *loc. cit. art. 3.* Suarez, Lugo, & alij.

II. Per modum impetrationis.

86. Deinde dicta admissio prodest illis personis etiam directè, per modum impetrationis. Tum quia, cæteris paribus, efficacior est oratio justis facta pro persona sibi conjuncta, quam pro extranea: tum quia tales personæ fiunt directè participes omnium Orationum, Missarum, aliorumque Suffragiorum, quæ generaliter fieri solent pro ipsa Religione, ac membris ejus. Unde bona opera talis Religionis possunt de congruo mereri (juxta dicta *num. 80. & 85.*) atque impetrare, ut Deus Confederatis illis specialia gratiæ auxilia conferat, quibus à vitijs avocentur, interiorius illuminentur, atque animentur ad profectum in virtutibus, insuper præserventur à peccatis, à morte, & ab alijs malis tum spiritualibus, tum corporalibus. Ita citati Auctores, & alij.

III. Per modum satisfactionis.

87. Ulterius juvat illa unio, atque communicatio bonorum operum Confederatis (dummodò habeant conditiones *num. 79.* assignatas) ad aliquem fructum satisfactionis consequendum. Tum quia in Communitatibus Ordinum Religiosorum præter quàm plures Missas, præsertim Conventuales, peraguntur pluri-

ma

mæ preces, pia exercitia, & bona opera pœnalia, atque satisfactoria, quæ generaliter applicantur pro Fratribus, Benefactoribus, ipsisque Confœderatis, tam vivis, quàm defunctis. Tum quia satisfactiones illæ, quæ pijs Religiosis superabundant, vitæ communicationis applicantur cæteris.

88. Addit Bassæus *loc. cit. num. 2.* quod pro animabus habentium prædictas Litteras Participationis possint Religiosi illius Monasterij, cujus olim fuerant Benefactores, celebrare Missam, quæ eas liberet à pœnis Purgatorij; idque ex concessione Clementis VIII. Fratribus Minimis facta, & communicantibus cum eis. quæ refertur *Tom. 2. Privilegiorum ejusdem Ordinis, Constit. 10. d. li Clementis.*

Indulgentiæ plenaria pro talibus post mortem applicabiles.

89. Objicies contra dicta. Si Prælati Regulares possent Benefactoribus applicare bona opera subditorum, præsertim quoad vim satisfactoriam, hoc ipso concederent Indulgentias: atqui hoc dici nequit; ergo. Resp. negando seq. Nam multiplex est differentia inter concessionem Indulgentiarum, & Suffragiorum.

Solvitur instantia.

90. Primò siquidem Indulgentiæ conceduntur ex communi Thesauro Ecclesiæ, ac virtute Clavium: non sic Suffragia. In illis dispensantur etiam satisfactiones Christi, & Sanctorum, ex operibus olim jam peractis: in his sola pia opera Subditorum adhuc viventium, & primùm peragenda. Ulteriùs de illarum infinitate, ac sufficientia constat; secùs de bonis operibus alicujus Communicatis Religiosæ. Tandem hæc Benefactoribus profunt, atque virtute Suffragiorum Ordinis communicantur non solum quoad vim satisfactoriam, sed etiam impetratoriam, ac de congruo meritoriam: econtrà Indulgentiæ profunt quodam solum vim satisfactoriam. Et ob tam multiplicem differentiam fit, quod suspensio Indulgentiis non suspendatur isthæc communicatio Suffragiorum Ordinis. Rodericus *loc. cit. art. 7.*

Differentiæ inter concessionem Indulgentiarum, & Suffragiorum Ordinis.

pluribus isthæc Suffragia declarans,
& alij.



QUÆ-